

parte rei cognitæ dixerunt non dari certam cognoscibilitatem, non solum quantum est ex parte sui (id enim etiam nos admittimus) sed neque ratione decreti Dei, vel quia illud non admittebant, vel quia illo admisso dicebant scientiam illam reddi non conditionatam, sed absolutam simpliciter, quia innitebatur medio absoluto, id est, decreto divino absoluto ex parte Dei. Hos auctores retulimus articulo præcedenti.

XXII. Nihilominus prima pars probatur. Licet futura ista conditionata non sint certo cognoscibilia ex præcisa ratione suæ entitatis, et prout considerantur in causis proximis, et creatis, tamen prout subsunt decreto Dei sunt certo cognoscibilia, non minus quam futura absoluta contingentia, quæ ex sua entitate, et causis proximis non fundant certam, et determinatam veritatem, sed indeterminatam et contingentem, licet ut subsunt decreto divino absolute determinanti quod fiant, certam et infallibilem cognoscibilitatem habeant, et hoc sufficit ut dicantur futura absoluta certo cognoscibilia a Deo simpliciter et absolute, ut tenentur fateri auctores ipsi contra quos disputamus, ergo eadem ratione tenentur isti auctores fateri quod futura conditionata sint certo cognoscibilia, non quia ex propria entitate sua, et ex causis proximis fundent talem certitudinem, sed ex decreto divino. Consequentia patet, quia decretum illud est medium dans sufficientem infallibilitatem rei decretatæ ut subest illi, et est medium ipsi Deo notum et evidens ipsique conveniens ad utendum illo; ergo habet Deus modum et viam ad cognoscendum certo et infallibiliter ista futura. Quod decretum det sufficientem infallibilitatem negari non potest, tum quia in futuris absolutis eam participari ex divino decreto auctores illi non negant, a decreto

enim habent, quod sint firmiter et determinate futura; tum quia decretum ipsum in se est omnino immutabile et æternum licet sit liberum, ergo immutabiliter tangit res decretatas, ergo res ut decretatæ, et ut subsunt decreto, immutabilitatem et infallibilitatem habent. Antecedens vero etiam constat ex dictis quantum ad id quod supponit, scilicet dari hoc decretum in Deo circa talia futura, ostendimus enim ista decreta non repugnare Deo, neque aliquam imperfectionem dicere, sed maxime dicere Deum, et ad ejus providentiam conducere, et amplius sequenti articulo ostendetur, futura illa neque ex causis creatis proximis habere certitudinem et determinatam veritatem, currit enim in eis eadem ratio quæ in futuris absolutis, de quibus id ostendimus disputatione præcedenti. Ergo in manu Dei est habere certam et formalem notitiam de talibus futuris, habendo voluntatem et decretum circa determinationem eorum. Non est ergo cur id negetur.

XXIII. Stabilito autem quod nec sit repugnans, nec impossibile Deo habere hujusmodi decreta, et certitudinem talium futurorum ut explicatum est, fit validum argumentum ad concludendum ita dari de facto, quia passim in sacris litteris, et in sanctis patribus expresse dicitur Deum hæc futura cognoscere et prædicere. Et quia loca Scripturæ notissima sunt, et passim ab auctoribus afferuntur, non oportet multum in hoc immorari. Dicitur enim 1 Reg. xxiii, cum David esset in Ceila; et quæreretur a Saul, quod consuluit Dominum: *Si tradent me viri Ceilæ, et viros qui mecum sunt in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent.* Sic habet vulgata nostra cujus lectio omnino retinenda est, et salvanda. Nec ad alia oportet divertere ex paraphrasi Chaldaica, vel

quidquid aliud sit præter vulgatam. Responsio ista est absoluta de illo futuro sub conditione qua mansisset David in illa urbe, et ita cum certitudine etiam ex parte rei scitæ responsum est a Deo, nam David tamquam omnino certificatus de illo eventu, fugit de illa civitate, non autem cura erat David certificari de re illa, ut solum tenebat se ejus certitudo ex parte Dei cognoscentis, sed ex parte ipsius rei cognitæ, de hoc enim ipse consulebat, et de hoc certificari volebat, hoc enim illi opus erat, ergo de hoc respondit Dominus, ita ut certum redderet David, et non ambiguum, ergo et Dominus de ipsa re scita certitudinem habebat. Item Sapient. iv: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, et ne fictio deciperet animam illius: et infra cap. vi, n. xi, de quibusdam justis dicitur: Quod velociter salvabantur ne in altam incidentes oblivionem non possent tuo uti adjutorio.* Ubi apponitur effectus ille conditionatus certissime eventurus, quia sine ulla dubitatione, vel incertitudine ponitur, sicut etiam cum præcipiebatur filiis Israel ne connubia ducerent cum alienigenis eis vicinis, dicitur 3 Regum xi: *Non ingredimini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras; certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini deos earum,* ubi illa seductio et aversio cordis, quæ sub conditione ponitur, certissima esse declaratur. In novo Testamento habetur illud celebre testimonium Matth. xi: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ in vobis factæ sunt, olim in cinere, et cilicio pœnitentiam egissent.* Et infra: *Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te forte mansissent usque ad hanc diem:* ubi particula forte, dubitationem non denotat, neque ex parte præscientiæ, neque ex parte rei sci-

tæ, sed more nostro loquitur, vel ad ostendendam liberi arbitrii mutabilitatem, vel ad expendendam rei ipsius difficultatem; sicut etiam cum dicit Dominus Joan. viii: *Si me sciretis forsitan, et Patrem meum sciretis:* et Psal. lxxx: *Si populus meus audisset me, si Israel in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliasset,* ubi particula forsitan, non dubitantis affectum, sed operis difficultatem et magnitudinem designat. Unde S. Hieronymus super illud Jerem. xxvi: *Noli subtrahere verbum ne forte audiant, etc.* inquit: « Verbum ambiguum forsitan, majestati Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum hominis servetur arbitrium. » Et Augustinus tractatu xxxvii in Joannem explicans verba dicta: *Forsitan et Patrem meum sciretis,* sic ait: « Quando dicit forsitan, non dubitat, sed increpat. Dubitationis verbum est cum dicitur ab homine, ideo dubitante quia nesciente, cum vero dicitur a Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil utique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas. » Ergo agnoscit Augustinus in his futuris conditionatis certitudinem inveniri in Deo cognoscente cum dicat de illis nihil latere Deum. Videndus est idem Augustinus super Psal. ii, ad illa verba: *Ne quando irascatur Dominus,* et S. Gregorius homil. ix in Ezech. ad illa verba: *Si forte, vel ipsi audiant, etc.*

XXIV. Denique, ex Augustino habemus inclinari in hanc partem, quod talia conditionata futura certissime sciantur. Nam in libro de correptione et gratia, c. viii, loquens de his qui non sunt rapti a Deo ne malitia mutaret eorum intellectum, sic inquit: « Respondeant si possunt, cur illos Deus cum fideliter, et pie viverent, non tum de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mu-

taret intellectum eorum, et ne fictio deciperet animas eorum. Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum, nisi perversissime, atque insanissime dicitur. » Sed hic locus licet afferatur pro ista sententia ab auctoribus qui defendunt scientiam mediam, nullo modo cogit, quia expresse loquitur de futuris absolutis, nempe de illis malis futuris, quæ de facto committet ille, qui de facto non est raptus, antequam malitia mutaret intellectum ejus, cum pie viveret. Expressius tamen hoc affirmavit Augustinus libro de bono perseverantiæ, c. IX, ubi agens de Tyriis et Sidoniis inquit: « Sed numquid possumus dicere etiam Tyrios et Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse si fierent, cum eis ipse Dominus attestetur, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum? » Manifeste ergo S. Augustinus admittit certitudinem illius futuri conditionati, nempe quod credituri essent Tyrii si talia signa viderent. Et similiter in libro de sex quæstionibus paganorum, id est, epistola XLVI, q. II, dicit S. Augustinus: « Quod in illis locis, temporibus, et in illis temporibus quibus evangelium non est prædicatum, tales omnes in ejus prædicatione futuros esse præsciebat quales multi in ejus corporali præsentia fuerunt, qui nec suscitatis ab eo mortuis credere voverunt. » Ubi etiam Augustinus manifeste ponit horum conditionatorum scientiam in Deo absolute et simpliciter, ac proinde formaliter, et cum omni perfectione ponenda est.

XXV. Cæterum hunc ipsum locum versans iterum Augustinus in libro de bono perseverantiæ, c. IX, et conferens cum eo quod dicitur

Matth. XI de Tyriis et Sidoniis, quod converterentur si apud eos Christus miracula faceret, colligit inde Augustinus illam futurorum conditionatorum scientiam, sine prædeterminatione Dei non esse, seu sine decreto. Post verba enim nuper relata subjicit sic Augustinus, item paulo post in eodem libro, et in eadem quæstione: « Quid mirum inquam si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus sæculis noverat ut eis prædicari merito nollet, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præsciebat? Hæc certe de Tyro et Sidone non possumus dicere, et in eis cognoscimus ad eas causas prædeterminationis hæc judicium pertinere sine quarum causarum latentium præjudicio tunc ista respondere me dixi. » Ergo fore Tyrios credituros si eis prædicaretur, ad decretum aliquod latens Dei pertinebat, idque potius in eis cognoscitur, et ex illis trahit argumentum Augustini ad corrigendum seu declarandum id quod universaliter dixerat de omnibus in libro illo sex quæstionum, quod noluit apparere illis temporibus, in quibus præsciebat homines non credituros, quod videlicet ista dicuntur sine præjudicio latentis consilii Dei, a quo scilicet totum hoc disponitur, vel permittitur. Et urgetur hoc etiam ex ipso Augustino in eodem libro de bono perseverantiæ, c. XVII, ubi contra Massilienses ostendit fidem et perseverantiam seu initium et finem nostræ salutis esse ex decreto, et prædeterminatione Dei, tali consequentia: « Qui solum initium fidei, et usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad hæc continenda operari Deum nostras cogitationes et voluntates, cætera vero ipsum dare concedunt, cum ab illo impetratur credentis fide; cur ad ipsa cætera exhortatio-

nem eorum, cæterorumque prædicationem definitione prædeterminationis non metuunt impediri? An forte nec ipsa dicunt prædestinata? Ergo nec dantur a Deo, aut ea se daturum esse nescivit. Quod si dantur, et daturum ea se esset præscivit, profecto prædestinavit. » Quæ consequentia Augustini jugulat scientiam mediam, et statuit cognitionem conditionatorum in decreto Dei. Nam Massilienses, quos hic Augustinus agit, admittebant prædeterminationem Dei secundum præscientiam dari, ita ut Deus decerneret dare tales virtutes, aut talia opera, quia præsciebat quomodo uterentur homines suo adjutorio, et quomodo facerent illa opera, ut constat ex sæpe citata epistola Prosperi in fine. Unde fit argumentum: Bona opera dicebant Massilienses Deum daturum, quia præsciebat tales homines bene usuros Dei adjutorio, et habituros initia bona per fidem, sed Augustinus dicit, quod si præscivit, prædestinavit, et si non prædestinavit, se daturum ea esse nescivit, ergo secundum Augustinum non scivit illud futurum conditionatum, scilicet se daturum bona opera si bene uterentur libero arbitrio, nisi quia decrevit, et prædestinavit, et si id non decrevit, nescivit. Sed quæcumque futura conditionata non intelliguntur in illo statu conditionato futuro, nisi Deus dederit, vel permiserit, ut isti admittunt, ergo idem est intelligere hoc futurum si sit bonum atque intelligere Deum hoc daturum si illa conditio ponatur, vel si sit malum permisurum, sed dicit Augustinus quod si se daturum intellexit, prædestinavit, ergo si futurum sub conditione intellexit, prædestinavit, aut illud se daturum nescivit, id est, futurum esse nescivit, quia in his quæ non sunt peccata, idem est Deum esse daturum, et illud esse futurum.

XXVI. Nec dici potest, quod Deus illud se daturum prædestinavit decreto conditionato, non absoluto ex parte Dei. Nam contra est, quia hoc non salvat, quod Deus prædestinavit se daturum, sed quod prædestinasset, si conditio poneretur, non autem de facto jam prædestinaverit, ergo etiam sciret si conditio poneretur, non autem scit de facto. Augustinus autem non dicit, quod se daturum prædestinasset, sed quod prædestinavit, et quod illa bona opera sunt prædestinata, ergo loquitur de decreto absolute, et de facto habito. Urgetque etiam hic ratio supra facta, quia in illo conditionato futuro datur veritas de facto determinata, alias determinate non sciretur, ergo et decretum determinatum et de facto (nam ex se est veritas contingens, et indifferens etiam posita conditione) ut determinate hæc veritas sequeretur, vel oppositum, quæ plenius articulo sequenti ostendemus.

XXVII. Ex his explicamus secundam assertionis partem contra illam virtualem seu eminentem scientiæ mediæ cognitionem, quam ponit m. Navarrete. Sed ab omnibus expungitur. Et merito. Nam hoc nihil aliud est dicere quam cognitionem de se solum conjecturalem et fallibilem, qualis in nobis est cognitio de his futuris desumpta ex eorum naturis et causis proximis, esse in Deo altiori modo, id est, purificatam illa fallibilitate et imperfectione sicut de his quæ nos ignoramus aut dubitamus Deus habet certissimam cognitionem; non quod Deus sit dubitans, aut ignorans eminenter (id non dicit, nec concederet auctor hic) sed quia Deus sua eminenti cognitione attingit certo id quod nos dubitative, aut ignoranter. Si hoc vult Navarrete, ergo assignat Deo formalem certitudinem de his conditionatis modo ta-

men eminenti (infinite perfecto ut pote divino) circa quæ nos vel solum dubitamus, vel penitus ignoramus. Ergo restat assignare quo medio, vel qua ratione formali, Deus illam certitudinem formalem, licet perfectione sua eminentem, habeat. Si ex vi ipsorum objectorum ante decretum, declinat in adversarios, et ipsam meram scientiam mediam ponit, quam etiam adversarii eminentissimam in Deo ponunt (supercomprehensivam Molina appellat.) Si post decretum, cur illud negat, et imperfectum dicit, nec in Deo dari? At si dat, idem sentit quod nos, ergo debuisset loqui ut nos. Equivocatio hujus auctoris ex eo videtur processisse, quod non penitus videtur distinxisse inter cognitionem virtualem, seu eminentem ex parte modi cognoscendi, seu ex parte ipsius cognoscentis, et ex parte ipsius certitudinis, et objecti cogniti. Primo modo cognitio discursiva, v. g. quæ in nobis est formaliter, in Deo tantum est virtualiter, quia sine discursu Deus cognoscit modo altiori quam nos per discursum. Secundo modo oportet quod non solum virtualiter, sed formaliter in Deo ponatur cognitio, quod enim nos incerto, et dubitanter cognoscimus, Deus cognoscit certo, sed formaliter certo, non virtualiter, certitudo enim formalis perfectio est. Hoc secundo modo est scientia conditionatorum in Deo, de quibus nos incertitudinem habemus, sed Deus certitudinem formalem licet eminentissime perfectam. Assignandum est ergo medium formale, in quo illa cognoscat, vel ante decretum, vel post, nec in hoc est dare medium.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXVIII. Ex duplici capite possunt fieri argumenta contra resolutionem

hucusque datam. Primo, ad probandum de facto non dari talia decreta, quibus reddantur illa futura certo cognoscibilia saltem omnia, sed in sua natura relinqui, ex qua solum habent indeterminationem et fallibilem cognoscibilitatem. Secundo, ad probandum, talia decreta de se esse inutilia et otiosa, imo impossibilia, sed tamen illis ablatis posse manere scientiam in Deo de his conditionatis, quæ est scientia media.

XXIX. Ex primo ergo capite arguitur. Primo, quia Augustinus simpliciter negat hanc certitudinem in his futuris, sed ad summum cognoscibilitatem habere, et pronuntiari futura juxta inferiorum causarum dispositionem. Nam in libro de prædestinatione sanctorum, cap. xiv, explicans illud testimonium: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, etc.* sic inquit: « Hæc est tota causa cur dictum est a quocumque sit dictum, raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, dictum est enim secundum pericula vitæ hujus, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit quod futurum non erat, id est, quod ei, mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto, non quod peccaturus esset qui mansurus in tentatione non esset. » Ergo secundum Augustinum illis verbis Scripturæ non est significata Dei præscientia, quæ est certa cognitio, sed solum quid juxta pericula hujus vitæ poterat judicari, quod certe conjecturale quid est. Item Augustinus libro primo de anima, et ejus origine exagitans illam Pelagianorum responsionem quod animæ parvulorum carni alligantur, vel solvuntur propter peccata quæ præsciuntur commissuræ si ad usum rationis pervenissent, post varias rationes quibus hanc premit res-

ponsionem, tandem subjicit: « Quid quod ipsa exinanitur omnino præscientia, si quod præscitur non erit? Quomodo enim recte dicitur præsciri futurum, quod non est futurum? » Sed sic est, quod omnia conditionata non erunt, sed essent, si conditio poneretur. Ergo exinanitur præscientia eorum, et sic Deus de illis præscientiam non habet. Et ad idem pertinet, quod S. Prosper dicit in epistola ad Augustinum eandem impugnans responsionem, quæ etiam a Massiliensibus dabatur de parvulorum liberatione juxta merita quæ præsciebantur futura si viverent, contra quos dicit Prosper: « Præterita quæ non extant, futura quæ non sunt futura confingunt, novoque apud illos absurditatis genere, et non agenda præscita sunt, et præscita non acta sunt. »

XXX. Respondetur ad primum locum Augustini negare eum præscientiam absolutam ex parte objecti illius non conditionatam, negat enim præscientiam ratione cujus Deus vel puniat, vel præmiet, dicebant enim Semipelagiani puniri aliquem, vel judicari, aut illi dari beneficium intuitu eorum, quæ quis facturus prævidebatur, negat autem Augustinus ex meritis, quæ de facto futura non sunt, nec in rerum natura posita aliquem judicari, de his autem quæ quis faceret si viveret, negat habere Deum præscientiam, id est, absolutam scientiam qualis requiritur ad habendum judicium præmiandi, vel puniendi. At vero scientiam non absolutam ex parte objecti, sed conditionatam, qualis sumitur secundum inclinationem, et dispositionem causarum inferiorum Augustinus non negat, quia hoc inquit dictum fuisse secundum pericula vitæ hujus, id est, secundam causas inferiores, quæ pertinent ad pericula vitæ hujus, hic tamen ordo causarum inferiorum, etiam ad effectus

non de facto futuros, sed sub conditione, ex decreto Dei descendit, et ab eo stabilitus est. Itaque hoc non negat Augustinus, quia etsi affirmet hoc dictum esse secundum pericula vitæ hujus, certe quod in causis istis pericula talia sint, et quod juxta illa pericula multa sequerentur mala nisi Deus impediret, propter permissionem divinam periculis illis adjunctam in talibus, vel talibus occasionibus, ambigendum non est. Sed hoc totum ex dispositione divina sic ordinante, vel permittente illa pericula intelligendum est præsciri, neque hoc Augustinus ibi negat, licet non explicet, quia solum intendebat repellere illum errorem hæreticorum, quod ex his quæ aliquis committeret si viveret, judicaret, ut paulo ante illa verba præmiserat dicens: « Sed quid prodest si etiam futura, quæ non sunt, peccata puniuntur, etc.? » Negat ergo præsciri ea futura, quæ de facto non erunt, præscientia scilicet absoluta; qualis requiritur ad puniendam, vel judicandam peccata.

XXXI. Ad secundum locum respondetur in primis optime dici quod præscientia evacuatur si quod præscitur non erit accommodando singula singulis, videlicet si præscitur aliquid sub conditione, evacuabitur præscientia ejus si non erit sub conditione; et cum præscitur aliquid absolute, evacuatur si non fuerit absolute. Secundo dicitur, quod evacuatur præscientia Dei si illud futurum non erit, loquendo de illo futuro secundum se, et ante omne decretum, sic enim non est præscibile, sed conjecturabile. Ut autem subest decreto Dei sciri potest, quia secundum Augustinum citandum articulo sequenti ea dicuntur præscita quæ et prædestinata. Tertio, dicimus quod ibi ad litteram Augustinus loquitur de futuris absoluti; qui agebat ibi Augustinus contra